

Sacerdotibus, alterum ex Laicis) ut judicium, & causas Domini judicarent (nempe Sacerdotes) ubicumque questio est de Lege, de Mandato, de caeremoniis, de justificationibus. Amariar autem, ait, Sacerdos, & Pontifex vester in his qua ad Deum pertinent, praesidebit. Alterius Tribunalis Princeps erat Zabadias Dux in domo Juda, super opera, qua ad Regis officium pertinent; idest, praerat Zabadias causis politicis, quae ad Rempublicam, & cives pertinerent.

* Jerem. 26. 8. 10.

Eadem, quae sub Josaphat constituta legimus tribunalia, Jeremias, sub Joakim Rege Juda scribens, designat (*). Cum enim Prophetam illum Sacerdotes, & Pseudo-Prophetae judicio damnassent, quod scilicet sinistra aliqua in Templum praenunciasset oracula, populus universus in Templum ad eam rem convenit. Tunc Principes Juda, certiores de omnibus facti, ex aula Regis, ubi Senatam habere consueverant, in Templum se conferentes a Sacerdotibus, Scribis, & populis cognitam causam ad se avocarunt. Sacerdotes & Prophetae reum mortis Jeremiam postulabant; sed Principes eorum sententias abrogarunt; tum Seniores populi iniquitatem prioris judicii in Prophetam lati pro concione exposuerunt, aliorum Prophetarum exempla proferentes in medium, qui in Urbem, & Templum impune oracula pronunciarunt. Ex his omnibus de autoritate Senatorum & Principum aule argumentum capimus; tum & sabellam arguimus eorum, qui de autoritate Sanhedrii mira venditarunt.

b Jerem. 33. 5.

Ea porro valebant autoritate Principes Juda, ut vel a Regibus timerentur, ea potissimum aetate, cum politicae rebus prostratis, eorum Principum potentia neque resistere Reges vellent, nec possent. Cum Jeremias expugnanda a Chaldeis urbis Jerusalem oraculum pronunciasset [b], Principes tradi sibi Prophetam nova spargentem in vulgus, a Rege postularunt, eumque veluti Reipublicae hostem puniendum dicebant; quibus Sedecias: Ecce in manibus vestris est, inquit, nec enim fas est Regem vobis quicquam negare.

c Jerem. 29. 26.

Cursim etiam spectanda est hac occasione Summi Sacerdotis autoritas. Semeias, datus Babylone ad Sacerdotem Sephoniā litteris, ita scribit: Dominus dedit te Sacerdotem pro Josada Sacerdote, ut sis Dux in Domo Domini, super omnem virum arripitum, & prophetantem, ut mittas eum in nervium, & in carcerem. Et nunc quare non increpasti Jeremiam, qui prophetaat vobis? (c). Et Phasur Princeps Domus Domini, & Sacerdos, tristitia in Urbem prophetantem Jeremiam percutiens in carcerem simul detulit (d).

d Jerem. 20. 2.

Facile credimus illos Septuaginta Viros Seniores domus Israel (e), quos Ezechiel thura adolentes coram Idolo per visum spectavit, sicut & alios 25. Viros, quos inter Templum & Altare holocaustorum terga vertentes Templo, & pronos orientem Solem adorare vidit; facile, inquam, credimus Viros illos spectatae dignitatis

ipissimos esse Judices Templi & Aulae, de quibus supra. Cum autem viri illi clarissimi essent, atque potentissimi in tota regione; ideo translati in captivitatem, una cum Joachim in Scriptura memorantur (f): Translulit Joakim in Babylonem. & Judices terra duxit in captivitatem &c.

f 4. Reg. 24. 15.

Historia judicii in Susannam lati argumento est apertissimo, in causis cognoscendis apud Judaeos leges aliquas observari in captivitate consuevisse, sicut & suos fuisse vernaculos gentis Judices. Sed quoniam leges illae? quis Judicum numerus, autoritas, & ordo? Esdras in Palaestinae redux (g) plenam ab Artaxerxe obtinuit autoritatem Judices in regione constituendi, qui de causis cognoscentes, parere reos vel ipso ultimi supplicii metu cogerent. Josephus de hac politia (h) post captivitatem agens, ait, Aristocraticam quandam Oligarchiam mixtam Rempublicam constitutam fuisse, in qua potissima essent Sacerdotum partes; stetit autem ait usque ad Asmonaeos, quo primum tempore ad Monarchiam Judaei regressi sunt. Haec omnia quadrant cum historia Jaddi Summi Sacerdotis, qui Principis Judaeorum autoritate & nomine Alexandrum Magnum Jerosolymam venientem excepit (i); quemadmodum & cum literis Arii Regis Spartarum, ad Oniam Summum Sacerdotem, & Duces gentis Judaeorum datis (k). Extant etiam ejusdem aetatis rescripta Regum Aegypti, & Syriae pro Judaeis utriusque Regi succedente tempore servientibus, quibus juxta suas Leges vivere permittitur, ea tamen conditione, ut tributa Regibus debita solverent. Verum in Republica, cujus prostrata penitus erant res, certam rebusque dispositam politiam quod exigamus nihil est.

g 1. Esdr. 7. 20.

h Antiq. l. 11. c. 4.

i Antiq. l. 11. cap. 1.

k 1. Macc. 12. 20. & Joseph. Antiq. l. 12. cap. 5.

Quaecumque tamen tunc temporis esset Reipublica Judaica oeconomia, hanc totam Antiochus Epiphanes, mota in illos persecutione, subvertit. Afflictis tamen rebus Mathathias ejusque filii, comparato fidelis populi exercitu, ita succurrerunt, ut certam simul Reipublicae formam redderent. Judas Macchabaeus in solemnium populi concione ad Maspham Duces populi constituit, Tribunos, Centuriones, quemadmodum & Praefectos super quinquaginta, & super decem (l). Jonathan, qui fratri Judae in imperio successit, utraque in se conciliata Sacerdotali scilicet, & Regia dignitate, ita populum moderatus est, ut una cum Senatu, quin & adhibito etiam populo, de rebus deliberaret. Ita sane colligimus ex literis Judaeorum nomine ad Romanos & Lacedaemones missis. Hebraeorum tum temporis politia veram Rempublicam referebat Aristocraticam & Democraticam mixtam. Ea occasione Sanhedrin omnium ore celebratissimum coepit.

l 1. Macc. 3. 55.

Aristobulus, filius Joannis Hircani, Regis nomine & insignibus assumptis, primum ferme ordinem in politia integrum manere passus est. Magna semper stetit Senatus autoritas, quamvis a suffragiis ferendis populus tandem excluderetur: sed

&

& temporis successu Regum ea cura fuit, ut autoritatem suam etiam atque etiam promoventes, Senatam etiam atque etiam in arcum concluderent. Ita labentes quotidie pristinae politicae res Pompejus tandem, redacta in ditionem & in Provinciam Romanorum Judaeam, penitus dejecit. Superveniens aliquanto post Pompejum Gabinius (m), quinque Tribunalia, singula in singulis florentissimis Provinciae Urbibus constituit hoc ordine; Jerusalem, Gadarae, Amath, Jericho, Sephora. Sua singulis hisce Tribunalibus attributa in Provincia ditio, e qua ad assignatam sibi Urbem incolae concurrunt facerent.

m Vide Joseph. l. 14. Antiq. c. 8. 9. 10. & de bel. l. 1. c. 5.

n Antiq. l. 14. c. 17.

o Selden. de Synedr. l. 2. c. 15. art. 11.

p Jo. 18. 13. 14.

q Act. 4. 6. 18.

r Act. 9. 1. 2.

s De bel. l. 2.

Julius Caesar restituit in Summum Sacerdotem Hircano jus supremam cognoscendi de causis ad Judaicam Legem pertinentibus asseruit (n). Herodes, privatae adhuc autoritatis vir, in jus coram Judicibus Jerusalem accitus, acceptam ab illis injuriam post adeptum Regnum ultus est. Omnes ille Judices, excepto Sammea viro inclito, ultimo supplicio damnavit. Jus sanguinis adeptum Judaeis 40. annis ante everisionem Templi vel ipsi Rabbini fatentur; quin & de causis pecuniariis 150. annis antea cognosci desitum esse traditur in Gemarra (o). Defuncto Herode, Archelaus ejus filius a Regno & Patria extorris actus, per Romanos Vienna relegatus est; tum & jus gladii omnem Judaeis adeptum. Legitur etiam Albinus Judaeae Procurator gravius habuisse Ananum Summum Sacerdotem, quod inficio Procuratore Senatam coegisset; idque ut sibi deinceps permitteretur Judaei, missis clam legatis, Agrippae autoritatem implorarent.

bat Seldenus, Sanhedrin in primis fautor, adductisque Scriptorum exoticorum & Judaeorum testimonis ita rem demonstrat, ut extra controversiam ponat [1]. Huic de politia Judaeorum idea ex Scriptura & Josepho concepta, vix ac ne vix quidem congruunt ea, quae a Rabbini venditantur; quibus proinde falsi non levis suspicio ea de causa creatur. Cum enim nullus Rabbini alius fons illimis praeter Scripturam suppetat, unde traditiones suas derivent; si quid Scripturae absonum asseruisse convincantur, statim praedictio damnati sunt. Si varia Hebraicae Reipublicae tempora inter se conferantur, variasse etiam apud illos politiam, nec eam quae a Moyse sancita est, constanti traditione ad Judices & Reges transisse statim intelligimus. Moyses Monarchicum ferme imperium exercuit, cui Senatus 70. Judicum, de quibus in Numeris legimus, accedebat. Sub Judicibus variis Reipublicae status fuit; modò sine Principe unusquisque suo ducebatur arbitrio, modò Judicibus, modò hostibus coacti parebant. Veteres Reges Juda per semetiplos jus populo dicebant; cuius rei exempla in Davide, Salomone, Jonathan filio Azariae (u) suppetunt. Labente Reipublicae statu penes Principes populi summa ferme autoritas mansit. Post captivitatem usque ad Asmonaeos Summi Sacerdotes reum poterant, Aristocraticum Democratico mixtum imperium exercentes. Tandem sub Asmonaeis Regibus in Monarchiam Reipublicae status recidit; donec Romanorum armis & natio & Republica universa deleta est.

t De Synedr. l. 2. c. 7. art. 6. & in addend. pag. 729. & lib. 2. cap. 16.

u 4. Reg. 15. 15

Hac simul omnia contemplantes, consilium habuisse Moysen credimus, ut is Reipublicae status constitueretur, in quo Sacerdotes una cum Principibus, sive Judicibus a Deo suscitatis, nec non inferioribus aliis Judicibus in singulis Urbibus praepositis res gubernarentur; ita tamen ut Sacerdotes, majori quippe scientia instructi atque minus rebus gerendis occupati, de causis Legis & Religionis cognoscerent. Non peribit Lex a Sacerdote, dicebant apud Jeremiam Judaei (x). Voluit insuper ut Judicium Summus Princeps, atque supremus Judex Summus Sacerdos agnosceretur, ad quem arduas omnes & majoris momenti causas deferri iussit. Principem occupatum esse voluit rebus belli & pacis tractandis, politia Legibusque asserendis; ac tandem exercito gladio Legum Divinarum violationem ulcisceretur, etiam atque etiam praecipit. Ita contemperata Republica, Regale Sacerdotium, seu mixtum Sacerdote & Rege imperium invenit. Is autem politicae status maximè congruebat populo, qui ex Aegypto recens egressus, Sacerdotes in altissima dignitatis culmine constitutos norat. Ipsi enim apud Aegyptios leges praescribere nedum caeteris, sed & Regibus consueverunt; ipsi Reges constituere, necnon semel constitutos proscribere. Sacerdotium haereditario jure possidebatur, Regnum electione. Juri dicundo Sacerdotes praerant;

x Jerem. 18. 18.

erant; quin è Sacerdotio ad Regnum non semel aditus patuit. Si verò aliunde quàm è Sacerdotum numero Rex assumeretur, statim sacris erat initiandus. Parem Moyses disciplinam apud Hebræos invehere cogitabat; quanquam ejus consilio vix quidquam delatum fuisse sequiori ævo, ex iis quæ supra animadvertimus, satis intelligitur.

Si ea tantum quæ in S. Scriptura traduntur de hoc argumento, Scriptores prosequi voluissent, hinc finem Dissertationi tandem imponeremus; cum verò plura addere Rabbini in mentem venerit, iisque plus nimio fidem habuerint Interpretes plurimi nec infimi subfellii, eos ab errore revocandi negotium nobis capessendum duximus. Quia in re Lectores rogamus, ut non Viros inspiciant, sed adducta ab illis argumenta sedulo perpendant: neque enim in hoc argumenti genere viri autoritas quidquam, sed dictorum ratio momenti aliquid confert. Rabbini igitur, quos recentiorum Scriptorum turba magistros sequitur, visum est, prima instituti Sanhedrii cunabula in electione 70. Seniorum Israel constituere. Porro cœtum istum semper apud Hebræos mansisse ferunt, non ad eversionem Urbis sub Vespasiano tantum, sed inde usque ad Adrianum, & diu etiam ultra. Huic autem Senatui despoticam tribuunt auctoritatem, tum in gentem universam ac Tribus, cum in Regem, Pseudo Prophetas, Summum Sacerdotem, ac tandem in arduis quibuscumque tam civilibus quàm Ecclesiasticis causis. Constabat 71. Judicibus, si unà Moyses, totius Senatus Princeps, recenseretur. Quibusdam tamen Christianis Authoribus visum est 72. Judices, sex pro singulis Tribubus adnumerare. Verum Doctores Hebræi tantum 70. recensent, quibus addunt totius Sanhedrii Principem (y). Nomen Sanhedrin ex Græco Synedrion, nempe Senatus, seu viri simul assidentes, corrupto derivatur. Apud Macedones adlecti in Senatui Patres Synedri appellatur (z).

Præerat Sanhedrio Nasi, seu Princeps, cui secundus in dignitate ad dextram Principis assidens, succedebat Pater. Sequebantur cæteri Patres in hemicyclum ad levam Principis assidentes, juxta Maimonidem, seu potius hinc inde ad utrumque Principis latus. Locus habendi Senatus consuetus erat Aula Templi dicta Aula lapidibus strata; cum tamen die Sabbati, seu feriata cogendus esset, tunc locus destinatus erat Aula in antemurali sita, in ipso montis, ubi Templum constitutum, ingressu. Verum si diebus, si die Solemnitates vel Sabbatum præcedenti, sicut etiam nocte, nullus judicialis actus fieri permixtus erat. Quamquam si ante noctem aliquid incepissent, nocte subeunte absolvere fas erat. Stante adhuc priori Templo, nempe ante captivitatem Babylonicam nulla dies erat a Sanhedrio feriata, si festa excipiantur, quemadmodum & Sabbata, ac dies Solemnitatibus præcedentes. Verum post Esdras habendo Senatui dies constituti sunt secunda, & quin-

y Selden. de Synedr. l. 2. cap. 4. art. 8. 9. 10. z Liv. l. 45. c. 42. Pronunciaturum, quod ad Statutum Macedonia pertinebat, Senatores, quos Synedros vocant, legendos esse, quorum consilio Republica administraretur.

ta feria. Porro Patres primo mane sub tempore matutini Sacrificii cogebantur, nec nisi ad vesperam sub tempore Sacrificii vespertini, scilicet sole occidente, ad propria remeabant. Judicia alia inferiora, ut Consilium trium, & viginti trium, sub meridiem solvebantur.

Patres in Sanhedrium adlecti ex Judicibus inferioribus, nempe ex cœtu 23. Judicum eligebatur (*). Initiabantur autem manuum impositione, qua potestas largiendi Spiritum Sanctum conferebatur; ad duntque post Moysen nunquam commissum fuisse, ut Spiritus Sanctus charum sibi Sanhedrium desereret. Adlegebantur autem ii quorum origo pura & sine crimine; frequenter è genere Sacerdotum sive Levitarum; nullâ tamen lege præceptum erat, ut è Tribu Levi assumerentur. Israelite omnes eligi poterant, quin & ii qui ex matre tantum genus traherent à Israelitis; filii enim jure Hebraico maternam conditionem sequuntur.

Porro Judices illi in scientia Legis scriptæ & non scriptæ consultissimi esse debuerant, nec leviter aspersi in magia, divinatione, variisque sortilegiorum generibus, quò de omnibus hiis æqua judicare potuissent. Nec etiam alienum erat illis studium Medicinæ, Astrologiæ, Arithmeticæ, & Linguarum; ut traditione certum teneant Judæi, calluisse illos 70. idioma, nempe quotquot in Orbe nota sunt, cum Judæi 70. tantummodo Linguarum genera distinguant. Si quis deformi esset corpore; si quis Eunuchus, quorum ut plurimum animus efferatus; si quis ætate esset grandævus; si quis aleator, scenerator, seu senus accipiens, hos omnes in Sanhedrium adlegere nefas. Idem jus esto in eos, qui columbas ad volatum instruerent, qui fructus septimi anni negociationi exponerent; tandem in Regem, cui in faciem resistere arduum fuisset. Sunt qui crediderint, sed temerè prorsus, vel ipsum Summum Sacerdotem à Sanhedrio exclusum fuisse. Legimus apud Ecclesiasticum (a), opifices omnes, veluti fabros lignarios, ferrarios, atque figulos, super sellam Judicium non sedere. Quare Judicum dotes erant divitiæ, corporis & oris venustas, ac tandem ætas provectior.

Quantas in omnibus fabellas vendiderint Rabbini, frustra nos ob oculos Lectorum ponemus; e. g. ea quæ de studio Magiæ & Sortilegiorum jactitant; quasi scilicet Judices illis instructos fuisse oporteret. Eiusdem saporis est scientia 70. Linguarum, quam singulos Judices calluisse volunt; præterquamquod enim vix est, ut tantum Linguarum numerum unius viri memoria complectatur, Josepho etiam asserente novimus, id studii genus Judæos prorsus neglexisse (b); & in Libro quodam Hebræorum legitur anathematis formulam in eos, qui filios suos scientiis Græcorum instruunt (c). Novimus etiam quo tempore bellum Romanorum in Judæos sub Vespasiano ardebat, cavisse Judæos lato decreto, ne filii Hebræorum unquam Græcum sermonem docerentur. Relatione Evangelicæ.

* De Sanhedrio 23. diximus ad Deuta. 23. 18.

a Eccli. 38. 38

b Antiq. l. 206 cap. uli. c Vide Selden. Synedr. l. 20 cap. 9. art. 20

gestarum notum est, Jesum Christum captum fuisse, accusatum, & damnatum per Sacerdotes Judæos, cum nox processisset, quin & die Festâ, & eâ Sabbatum præcedenti; quod sanè juri Hebræorum, si Rabbini fidem habeamus, repugnat.

Constanti Judicum Sanhedrii successioni à Moysè usque ad Christum natum & ultra etiam demonstrandæ, viri quidam scientiâ & eruditione præstantes, argumentis ex Scriptura congestis sedulo laborarunt. Grotius in suis Commentariis nullam labi occasionem patitur, quam Sanhedrio ingerendo aptam reputaverit; cuius ipse Sanhedrii veritatem in primo Libro de Jure Belli, & Pacis pluribus firmare conatur (d). Seldenus tribus illis de Synedriis voluminibus, quorum postremo ne absolveret mors intercessit, nullum sibi alium potiorum finem præscribit. Sanè post institutum Sanhedrium, ut illi quidem autumant, anno ab egressu ex Ægypto secundo, ad Josue usque constans, & non interrupta successio facillè demonstratur, Post obitum Josue censet Bonferrius (e) cœtum illum Virorum loco Principis, quorum nullus in populo constitutus erat, stitisse. Post hæc Judices commemorantur; dein Prophetarum, Principum Sanhedrii, successio ab Heli Summo Sacerdote per Samuelem, & Davidem deducta, ad captivitatem usque Babylonicam excurrit. Sunt qui Saulem Principem Sanhedrii, & Jonatham ejus filium, Patrem (quæ secunda dignitas est) constituunt. Non desunt, qui huic successioni asserendæ perpetuos Sanhedrii Principes, Reges Juda fuisse arbitrentur. Rabbini Sanhedrii Patres agnoscunt in cœtu Cerethi & Pholeti, qui sub Davide noti fuerunt; sicut & in illis 200. viris, qui partes Absalomi, consiliorum ipsius ignari, secuti sunt (f). In ipso Cantico Canticorum Salomonis Sanhedrium explorasse Paraphrastes Chaldæus sibi visus est (g). Sancti asserunt, post divisas decem Tribus à reliquis, adlectos in Sanhedrium Patres ex reliquis duabus Juda, & Benjamin tantum, quod, inquit illi, usque post captivitatem Babylonicam servatum est. Grotius Sanhedrium agnoscit in Senatu Jerusalem, de quo in Judith (h), in Judicibus à Josaphat constitutis (i), in Principibus à Joram occisis (k), in Principibus Juda, qui damnatum Jeremiam absolverunt (l), in 70. Senioribus, quos Ezechiel per visum spectavit (m). Ad eum cœtum pertinebant viri illi 60. numero, quos Nabuzardan captivos in Babyloniâ duxit (n); ex quibus, si fides illis Scripturibus, successio Judicium in captivitate mansit. Sed qui Judices illi damnatæ Susannæ (o) rei? Eos certè in numero Sanhedrinorum habent, si historia esset apud illos canonice auctoritatis. Contentendæ Talmodistæ, Scribas illos, qui olim in Jabes Galaad (p) sedem habebant, Patres fuisse Sanhedrinos. Quid? eo usque confidentia devenit est, ut 70. viri Bethsamitæ percussis à Deo in prenam vise sine integumentis Arcæ, ad Sanhedrium spectaf-

d Lib. 1. de Jure Belli & Pac. cap. 3. art. 20.

e In Josu. 1.

f Ita Author Tradit. Hebr. in Paralip. 24. 11. Damian. Lyr. Grot. & c. g Vide Cant. 7. 2.

h Judith 15. 8. i 2. Par. 19. 8. k 2. Par. 21. 4. l Jerem. 26. 10. 26. m Ezech. 8. 11.

n 4. Reg. 25. 18.

o Dan. 13.

p 1. Par. 2. 54.

se affirmantur (q). Hæc sanè omnia miseratione digna sunt, atque sententiam, cui, meliorum defectu, patrocinium ex levioribus hiisce quaritur, deserendam suadent.

Rebus Judaicis in captivitate Babylonica planè prostratis, nihil tamen in successione Sanhedrii gravius intentatum fuisse Hebræi asseruerunt. Baruc, inquit illi, ad cœtum illum ante captivitatem pertinens, in Babyloniâ deductus successorem Esdras reliquit. Esdras in Chanaanitidem restitutus, impetratâ à Rege Artaxerxe facultate, & veterem politiam, & ordinem Judiciorum reddidit (r). Sunt qui crediderint, Judicum numerum usque ad 120. sub Esdra prorogatum fuisse, quæ de re plures Hebræorum Doctores (s). Voces Principes & Senatus, quæ in Libris Macchabæorum leguntur (t), aperitissimè Sanhedrium exprimere Grotius autumavit. Porro cœtus iste usque ad Simonem Justum, qui Principem in eo locum tenuit, sub Alexandro Magno perseveravit. Vacuum obitu Simonis dignitatem Antigonus Socæus non obtinuit tantum, sed & novam Principum seriem instituit. Antigonum enim excepit Josue filius Joazar; hunc Josue filius Perachia, quem virum Rabbini impudentissimè asserunt Christum habuisse Discipulum, sociumque in Ægyptum comitasse: scilicet vir 150. annis Jesu Christo senior, hæc præstare facillè potuit. Dein Principatus ad Judam filium Tabai transiit; ex quo ad Samaiam, hinc ad Hillel; atque ordine demum ad Rabban Jochanan filium Zachai. Aliis tamen placet Simonem filium Hillel post patrem Sanhedrio præficere; cui Gamaliel filius successit. Porro Gamaliel, si Rabbini fides, ipsissimus est, quem S. Paulus Præceptorem audivit. Gamaliel vitâ fundò, locus factus est Simoni ejus filio, qui eodem cum Jerusalem fato intercidit. Post Simonem sequitur alter Gamaliel filius Simonis, qui dignitatem Simoni filio Simonis II. reliquit; dein ordine Judas Sanctus filius Simonis, Gamaliel filius Judæ, Judas filius Gamalielis, Hillel secundus filius Judæ, Judas filius Hillel, dein alter Hillel filius Judæ (u), ac tandem Gamaliel filius Hillel, de quo sermonem esse credunt in Cod. Theod. tit. B. lib. 16. l. 22.

Per hos gradus Sanhedrium constanti successione à Moysè usque ad initum Christianæ æræ sæculum quintum deducunt. Quamquam inter Sanhedrii patronos non satis etiam hac in re convenit: sunt enim qui (x) exitum hujuscæ Senatus constituent in cæde Judicum, qua Herodes initi à se Regni gaudia fustulavit (y); simulque variis fortune vicibus factum esse credunt, ut constans illa Sanhedrii successio aliquoties interrumpere. Sed nihil vicissitudinibus Rabbini permittunt, integrum successione filium usque ad tempus jam designatum ita ducentes, ut in variâ politia & Republicæ fortunâ, idem semper mansisset Sanhedrium, loco solummodo & forma quandoque variatum, adstruant. Moyse enim ætate, inquit illi, Jos-

q 1. Reg. 6. 19.

r 1. Esdr. 7. 9.

s Selden. de Synedr. l. 2. cap. 16. art. 6.

t 2. Macch. 1. 10. & 11. 27.

u Seldenus putat de hoc Hillel sermonem esse in Epist. 25. Juliani Imp.

x Grot. ad 1. Par. 21. 4. Poflel. de orbi concor. l. 4. Galatin. de arcan. l. 4. c. 6. y Joseph. Antiq. l. 14. c. 18.